




Lte. 70.

D. CHRIST. AVG. CRVSII
OBSERVATIONES
DE
V S V
VOCABVLI ΝΟΜΟΣ, LEX,
SIGILLATIM
IN EPISTOLA S. PAVLI AD ROMANOS.

SECTIO TERTIA.

PROPOSITA
IN ACADEMIA LIPSIENSI
FESTO RESVRRECTIONIS CHRISTI
CID IDCC LXVL



In perlustranda epistola S. Pauli ad Romanos, in qua obseruare instituimus, quo sensu in vnoquoque loco accipiat verbum ΝΟΜΟΣ, ΛΕΧ, (nam de huius verbi vsu in S. literis, quem nosse magnopere refert tum ad recte percipiendam doctrinam salutis, tum ad interpretandum, binis iam programmatibus commentati sumus *), primum generatim, dein per inductionem locorum ex epist. Pauli ad Romanos) peruenimus nuper vsque ad finem Cap. III. et vltimum composuimus *ἐναγίοφάκειαν* inter Paulum et Iacobum, testantes de iustitia ex fide sola, nec non ex fide et operibus. Pertexamus iam telam, quam exorsi sumus.

Redeamus igitur ad filum sermonis Pauli, idque vterius persequamur. Dixerat C. III. 31. docenda fidei iustitia nihil aboleri de doctrina legis, nempe Mosis et Prophetarum, sed legem statuminari. Quod quomodo fiat, toto capite quarto illustratur. Vtitur exemplo Abrahami, recteque hoc potissimum et vberime. Moses enim ad nihil aliud vocatus est, nisi vt minister esset implendi foederis, cum Abrahamo facti, nec nouum fuit foedus cum Israëlitis, sed veteris illius executio, Exod. III. 2. 6-10. VI. 2-8. XIX. 4-6. XXIV. 7. 8. Rursus per Prophetas continuatur oeconomia Mosaica, omnes Verbum Dei per Mosen datum praesupponunt, huic omnes superstruunt, nullus eorum vel docuit quidquam, vel docere potuit, vel videri potest docere voluisse, quod libris Mosis contrariaretur. Quamobrem vnum Abrahami exemplum satis est ad quaestionem, qualis iustitia fuerit iustorum in V. T. qualis a lege doceatur, penitus dirimendam. Notat tamen Apostolus, quasi obiter, etiam Dauidis exemplum ex dicto in Psalmis, quod propterea factum videtur, quoniam Hagiographa, in quibus liber Psalmorum primus est, partem codicis sacri tertiam et extremam efficiunt, ideoque sic innuitur, *legem seu Scripturam* a capite ad calcem non aliam docere iustitiam, nisi eam, quae fide in gratiam Dei promissam contineatur, neutiquam sit ex operibus humanis. Scilicet iustitia Abrahami tribuitur fidei, salus a Dauide accepta refertur gratiae, peccata remittenti. C. IV. 1-5. *Ecquid igitur dicemus Abrahamum, patrem nostrum, reperisse secundum carnem?* (in omnibus, quae de rebus humanis illi vel promissa vel constituta sunt, vel ipse inter homines gessit. Huc enim se recipere debent, qui iustitiam ex operibus legis comminiscuntur, praefertim ad circumcisionem v. 9. quae cum prole sua Deo consecratus fuit.)

Nempe

*) Vid. *progr. festo reformationis Ecclesiae, et festo natiuitatis Christi 1765.*

Nempe si Abraham ex operibus iustus factus est, (quod conceditur, quatenus iuste egit et fuit vir iustus) habet, unde gloriatur, sed non erga Deum (distinguitur iustitia κατέναντι τῷ Θεῷ v. 17. cuius καύχημα est πρὸς τὸν Θεόν, quae Deo asseritur, vt causae, vel fidei, vt instrumento, estque διανοιστική τῷ Θεῷ ἐπὶ τῇ πίστει, ab alia iustitia, quae operum est, et in vita humana cernitur, sed coram Deo non efficere potest, vt peccator non iudicetur vt peccator, nec vt peccata remittantur.) Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, idque illi iustitiae ductum est. Operanti autem merces non adiudicatur secundum gratiam, sed ex debito. At non operanti (quod pertineret ad impetrandum id, de quo quaeritur, hoc loco ad impetrandam iustitiam) credenti autem in eum, qui iustum pronuntiat eum, qui impius est, (qui Deum sic non coluit, vt suo opere iustus esset) iustitiae ducitur fides eius (hoc ipsum illi iustitiae est, quod benignam clementis Dei voluntatem libenter amplectitur.) Quemadmodum etiam David eloquitur illud beati praconium, quod hominis est, cui Deus iustitiam accenset, sine operibus (quamquam non habenti opera, quibus iustus censeatur): beati, quorum remissae sunt iniquitates; beatus ille, cui non imputauerit Dominus peccatum.

In sequentibus, quae ad finem vsque capitis IV. de Abrahamo tractant, duo bene notanda sunt. Alterum est, quod supra dicebam, inter res, quae Abrahamo secundum carnem, instituto nempe carnali et in carne peragendo, obtigerunt, nihil maius occurrere, quam circumcisionem, qua ipse et posterius Deo sacriati, et speciali foedere iuncti fuerunt. Quamobrem Paulus obseruare docet, iustitiam Abrahamo tributam esse, antequam esset circumcissus, et notanter expresseque scriptum extare, quod fides ipsi iustitiae fuerit. Ex utroque patet, circumcisionem non dedisse iustitiam, sed huius sigillum fuisse. Iam quia dubitari nequit, benedictam Abrahami prolem non alia ratione iustificandam esse, quam Abrahamum ipsam, in quo censebantur, ac si praesentes essent, et a quo gratia foedere promissa ad omnes manare debuit, qui pro eius filiis habentur: sequitur, vt eadem salutis conditio de prole Abrahami valeat, et circumcisio non tribuat iustitiam, sed fides, quae promissioni credit, cuius sacramentum erat circumcisio. Adeoque Abrahamus omnium ita credentium, vt foedus gratiae diuinae ab illo accipiant, Pater est, siue circumcisi sint, siue non, quoniam circumcisio iustitiae accidentaliter est, et, postquam hanc iam possedit, demum accessit. Hoc tantummodo opus est, vt pari modo credant, quemadmodum Abraham, quo fide iusti esse possint instar illius. Vide v. 9-12. Idem valet de tota legislatione, quae Mosis ministerio contigit. Haec enim tantum abest vt repugnare possit foederi

deri Abrahamo dato, ut potius solummodo illius executio sit v. 13. 14. *Non enim per legem* (per vniuersa illa, quae ministerio Moſis ſancita ſunt; *lex* hoc loco dicitur metonymice obiectum praecipuum librorum Moſis ſeu *legis*, quippe quod Iudaei potiſſimum ſpectare conſueuerant, quemadmodum etiam fides dicitur tum qualitas mentis, tum doctrina Euangelii, tum eius obiectum principale, Gal. III. 23-25.) *promiſſio contigit Abrahamo*, (nam lex poſt quatuor ſecula, et quod excurrit, data eſt) *aut ſoboli eius, ſcilicet illud, quod vniuerſum terrarum orbem poſſidendum accepturus ſit, ſed per iuſtitiam fidei.* Nam ſi illis, qui ex lege ſunt, (qui legem Moſis acceperunt, eaque freti ſunt) *poſſeſſio decreta eſt, inanis reddita eſt fides, et abolita eſt promiſſio.* Iam docetur, quomodo rei natura non aliter permittat v. 15. *Lex enim* (ſubaudi, ſi tollas promiſſionem gratiae in Chriſto. Nam contra tales diſputat, qui neglecta gratia operibus legis conſidebant, quaſi haec hominis iuſtitiam coram Deo efficierent, ideoque veram Dei iuſtitiam negabant, eamque operibus legis perperam adfingebant. En, quomodo pro ſubſtrata materia e notione *legis* latius patente, qua libros Moſis, vel metonymice totum obiectum muneris Moſis, denotat, euadat anguſtior illa, ad quam conſtituendam Iudaei Apoſtolum cogeabant, ut *lex* ſtriſte dicta eſſet doctrina operum praeſtandorum, ſiue pars ea Scripturae, quae et quatenus imperat, quae ab homine facienda ſunt) *iram operatur.* (Docendis, quae fieri oportebat, ſed facta non ſunt, teſtatur, peccatores Deum iratum habere) *Vbi enim lex non eſt, nec transgreſſio eſt.* Concluditur ergo iterum, quod ante docebatur, v. 16. 17. *Propterea ex fide* (obtingit promiſſio) *ut gratiae cauſa* (obtingat), *quo firma ſit promiſſio vniuerſae proli, non illi tantum, quae ex lege eſt* (quae ſub legiſlatione Moſaica eſt) *verum etiam cuiunque, quae eſt ex fide Abrahami* (quae proles Abrahami cenſetur fide, pari modo adhibita promiſſioni ab Abrahamo acceptae) *quippe qui pater eſt noſtrum omnium: quemadmodum ſcriptum eſt: conſtitui te, ut multarum gentium pater ſis.* (Quibus verbis includitur, gentes fore, quae genus ab Abrahamo ducant, ſed plus etiam dicitur per aenigma propheticum, ſucceſſiue ſuo tempore ſoluendum. Nam quando veniſſet Chriſtus, omnes gentes cum ſideli prole Abrahami, cui impleta eſt promiſſio de Chriſto inde oriundo, concorporandae erant. Cuius rei ſignum iam lege Moſis datum eſt ea re, quod peregrini ſuſcepta religione Iſraelitae cenſebantur.)

Ex hucuſque dictis ſatis perſpicitur, quid Paulus in animo habuerit. Eſt tamen data occasione aliquanto magis expoſitum in epiſtola ad Galatas. Ex qua nunc id modo diligenter penſitandum commendamus, quod
Paulus

V

Paulus monet imperitos legis zelotas, qui lege contra Euangelium abutebantur, quod non perpendant, non duplicem vel multiplicem Abrahami sobolem in foedere diuino intelligi posse, propterea quod simpliciter dicitur: *tibi et semini tuo*, non tamquam de pluribus generibus prolis, quorum alia sub lege est, alia non est, sed simpliciter tanquam de vno sobolis genere, quod itaque iisdem semper conditionibus censendum est, qua dicendi ratione ad Christum remittitur, *ὅς ἐστι Χριστός*, id quod *Christus est*, i. e. quo nihil aliud denotatur, nisi Christus, qui scopus et summa promissionis est. Quod si ita est, proles Abrahami saluanda non censetur lege, quae serius lata est, quasi alia et alia proles Abrahami, ut haeres promissionis, induceretur, sed vnice censetur fide verbo diuino adhibita, ut eadem ratio sit sobolis Abrahami ante et post legem. Nam e. g. si ex lege Moysis iustitia est, quomodo beatus est Isaacus, Iacobus, Kahath, Amram et sic porro? Alia atque alia proles Abrahami fingenda est, quae haeres promissionis sit, quod sane verbis foederis non congruit, nec adiuere quidquam licet diuinae *διαθήκη* sanctioni, quippe quod iam iniustum et iniquum habemus, si fiat humanae *διαθήκη*, *testamento*. Gal. III. 15. 16.

Alterum, quod in sermone Pauli de fide Abrahami C. IV. 16-25. obseruandum restat, ad *fidei indolem* spectat, *qualis fuerit, quid pro obiecto habuerit*. Forsan fiducia generaliter in Deo posita laudatur? aut quod certo credidit, sibi prolem fore, quia Deus promisit? Quod obiter legenti ita videri potest, propterea quod Paulus Abrahamum ab ea parte intuendum sistit, qua promissioni de gignenda sobole prorsus fides est, etsi res non amplius naturaliter fieri poterat, sed miraculorum interuentu opus erat. Ex quo consequeretur, fidem iustificantem non modo esse fidem in Christum, sed quamcunque fidem, dummodo verbo et promisso diuino credat, eaque re Deum honoret, sed fidem, quaecunque obiectum habeat, quod variet pro hominum temporumque diuersitate, Deo ita placere, ut credentem clementer recipiat, eique peccata condonet.

Iam quidem concedo, fidem dupliciter spectari posse et solere, vel quatenus est acceptio certarum doctrinarum, quae est consideratio fidei obiectiua, vel quatenus est qualitas mentis in credente, certus nempe actus vel habitus, quae est consideratio subiectiua. Veluti fides subiectiue consideratur Ebr. XI. et eatenus describitur ut *ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος μὴ βλεπομένων*, firma animi *consistentia* (coll. C. III. 14. 2 Cor. IX. 4. XI. 17.) in iis, quae sperantur, *certitudo de rebus, quae non videntur*, Paulus enim in eo est, ut doceat, hoc obedi-

tiae Deo debitae exercitium, quod in tali mentis conformatione inest, qua animus certo desigitur in futuris et non visis, a mundo condito omnibus, qui Deo placuerint, impositum fuisse. Eaque re Cap. XII. ysurus erat ad acuendum studium tenendae fidei in Iesum Christum, cuius reuelatio expectatur, gloria nondum cernitur, ne Christiani detrectarent officium credendi, aut, nouum quiddam et inusitatum requiri, sibi a maleuolis persuaderi paterentur. Sane maximi momenti est illa fidei consideratio subiectiua, sine qua nec seruabitur fides tempore difficili, nec recte defendetur contra impudentiam profanorum, qui, quando maxime ἀφιλοσόφως nugantur, non capiunt officia, quae circa dirigendum assensum versantur, et explodunt officium credendi, quasi necesse sit, fidem, ubi officium est, rationibus destitui. Contra ipsi vel sentire cupiunt, vel necessitatem rei propositae et modum comprehendere, antequam veritatem fateantur.

At enim vero in nostro loco secus est, et in epistola ad Romanos Paulus considerationem fidei subiectiuam supponit, sed fidem obiectiue spectat. Docet enim, acceptionem promissionis gratiae, quae in Christo est, hominibus saluti esse, ideoque fidem esse, qua saluari debemus, scilicet non propter dignitatem, quae in actu credendi inest, qui ipse est ἔργον νόμου, sed propter dignitatem obiecti, quod fide amplectimur et accipimus. Itaque fides etiam Abrahami obiectiue cernitur, estque ea fides, quae Abrahamo iustitiae fuit, non alia, nisi fides in Christum, videlicet fides in eam Dei gratiam, quae generi humano in mittendo promisso Salvatore speranda proponebatur.

Obiectum autem fidei, quale Abrahamo propositum fuit, constat duabus partibus, altera, quod per Christum omnibus gentibus benedicendum sit, altera, quod inter posteros Abrahami Christus nascendus sit, et tempore, quo proles Abrahami numerosissima sit futura, ut numerari nequeat. Alterum igitur ab altero pendet, et sequitur alterum. Nisi fieret, quod oportet esse antecedens, quomodo fiet, quod debet esse consequens? Atque hoc commune erat omnibus piis V. T. qui ante Abrahamum et cum illo viuebant, ut expectarent gratiam primis hominibus promissam, quod venturus sit e genere humano, qui inimicum seductorem damnaret, pugnamque cum illo gloriose conficeret. In qua promissione salus hominibus per hunc Venturum speranda iamiam inuoluta est. Positiue et aliquanto clarius promittitur in prima, quae Abrahamo obtigit, promissione. Atque ea in re non arduum fidei exercitium inest, sed adiumentum et lumen maius. Exercebatur autem et demonstrabatur vis excellens fidei Abrahami per vocationem exeundi e patria in terram incognitam, se ipsum per-

perpetuis periculis, opesque suas praedonum cupiditati obiciendi, eo-
que ordine sperandi, fore, vt posteros numerosos haberet, inter quos
nasceretur, per quem toti generi humano benefaciendum sit Gen. XII.
1-3. Caeterum is et vxor tunc ad gignendum nondum inepti erant,
ideoque in prolis expectatione tantisper itidem modicum inest fidei ex-
perimentum. Suspensa autem tenebatur fides viri, donec nulla gignen-
di spes naturalis superesset. Tum denuo aliquoties iteratam Christi pro-
missionem e sua sobole nascituri accepit, in qua fane hoc admirabile est,
quod *spes principalis, Christus, alligata est ad conditionem physice impossi-
bilem*. Iam tempus erat, quo illustri documento constare poterat, quam
firmiter Deo credat Abrahamus. *Atque per occasionem huius inprimis*
fidei exercitii, quod incipit a tempore, quo omnis spes foecunditatis
Sarae occiderat, in quo fidei examine tamen bene stetit Abrahamus, ad-
ditur causa, propter quam Abrahamus iustus coram Deo habitus sit, scilicet
quod Deo semper et per omnia credere solitus fuerit, nec physica impossibilitate se
a spe Christi deiici passus sit. Non enim de fide mere actuali, hoc solo
loco et tempore praestita, prudens verba acceperit. Agunt enim de
habituali fide, in qua semper fuerat et firmiter mansit Abrahamus.

Atque figillatim in nostro loco indubitatum est, Paulum verba Moysi
de fide Abrahami, quae illi a Deo iustitiae ducebatur Gen. XV. 6. accepisse
vt locum communem et testimonium generale de charactere animi, qui in
Abrahamo fuit, quasi diceret: Abraham solebat Deo constanter et per
omnia fidem habere, eaque fidei obedientia illi iustitiae fuit, et quidquid
alioqui in eius vita et virtute admirabile est, id maximum pretium inde ha-
bet, indeque profectum est, quod Abraham iustus ex fide fuit, quippe quam
Deus ipsi in iustitiam imputauit. Nam hoc animo Moysen testimonium de
fide et iustitia Abrahami interseruisse, clare patet, dummodo quis seriem
rerum Abrahami in promptu habeat, quod Paulus, propter lectionem le-
gis per sabbata, vtique supponere potuit, eamque rerum seriem cum
dictis a Paulo contendat.

Sic enim Paulus rationes subducit v. 16-25. Propterea promissio
Abrahamo et proli eius non per legem sed per fidem obtigit, vt secun-
dum gratiam (mera gratia) obtingeret, vt firma promissio esset vniuersae
proli, non illi tantum, quae ex lege est, (quae legem accepit et *ἐννομος* est)
verum etiam vniuersae illi, quae est ex fide Abrahami, (quae verbo Dei
ad Abrahamum facto, et tam multa postea gratiose euentura promitten-
ti, pariter quemadmodum Abraham credit,) qui est pater nostrum omnium;
quemadmodum scriptum est: constitui te, vt pater multarum gentium sis:
(Gen. XVII. 5.) nempe vt ipsis omnibus eadem esset iustitia coram illo,
cui

VIII

cui credidit, Deo, qui viuificat mortuos, (Respicitur ad reiuueneſcentes Abrahamum et Saram, ad gignendum mortuos, cuiusmodi miraculum nec ante nec poſt factum, nec non ad fidem Abrahami promte creden- tis reſuſcitationem mortuorum, etſi a mundo condito exemplum rei nondum extiterat, propter quam fidem promptus erat ad immolandum Isaacum, ita vt in eius animo praeceptum de immolatione non collidere- tur cum promiſſione de benediſtione omnibus gentibus per Isaacum euentura, quia ſtatim reſtitutionem eius e cineribus expectabat Ebr. XI. 19.) et nominat, quae non ſunt, tamquam ſi eſſent iamiam. (Nam Deus de innumerabili prole Abrahami loqui ſolebat, antequam filium habebat, digne quidem maiestate Numinis, cuius ſcientia viſionis res futuras non minus quam praesentes intuetur.) Qui praeter ſpem in ſpem credidit (vbi nulla erat ſpes naturalis, certa ſpe credidit) vt fieret pater multa- rum gentium, iuxta dictum: ſic erit proles tua (innumerabilis, vt ſtellae in coelo Gen. XV. 5.) Et quia non languebat fide, non conſiderauit ſuum ipſius corpus iam mortificatum, quia centum annos natus erat, et mortifica- tionem vteri Sarae. Quia Dei erat promiſſio, non dubitauit vlla incredu- litate, ſed roboratus eſt fide, dans Deo gloriam (En cauſam, cur Deus ſibi credi velit! Nulla Dei veneratio eſt ſine fide, in hac autem maxima in- eſt, et quae omni virtuti praeſtruenda eſt.) certiffimeque conſiſus, quod, quidquid promiſerit, valeat quoque efficere. Quam etiam ob cauſam hoc illi ductum eſt iuſtitiae. Non vero ſcriptum eſt propter illum ſolum, quod illi ductum fuerit, verum etiam noſtri cauſa, quibus ducetur, dum credimus in eum, qui reſuſcitauit Ieſum, Dominum noſtrum, e mortuis, qui traditus eſt propter lapſus noſtros, ſed reſuſcitatus propter iuſtificationem noſtram.

Obſeruari itaque velim, Apoſtolum ex historia Abrahami promiſcuae allegare, quae tum temporis dicta ſunt, quando contigit id, in quo me- morando additur, quod fides Abrahamo iuſtitiae fuerit Gen. XV. 6. et quae poſtea de eo memoriae prodita ſunt, vt: quum foedus circumci- ſionis accepit Cap. XVII. 10; deinde quum natiuitas Iſaaci indiceretur כאת חיה Cap. XVIII. 10. 14. coll. XVII. 21. i. e. ſimulac tantum tem- poris effluxiſſet, quantum opus eſt ad maturitatem foetus humani in vtero materno (coll. XXI. 2. 2 Reg. IV. 16); tum vbi in deſcripto Sarae periculo documentum extat, quod formam et vigorem iuuentae prorfus receperit, Cap. XX; denique vbi fides Abrahami in promptitu- dine ad immolandum Isaacum illuſtriſſime ſpectata eſt Cap. XXII. Li- quido igitur conſtat, fidem Abrahami vt habitualement ſpectari, et a Moſe tamquam locum communem hoc tradi, quod ſemper et per omnem vi- tam fides illi iuſtitiae fuerit. Sed Paulus ſimul magnitudinem fidei eius demon-

demon-

demonstraturus commemorat documenta, quae versabantur circa proximam obiecti partem tamquam difficillimam. Quod non ita capiendum est, ac si partem obiecti praecipuam, quae Christus fuit, non praesupponeret, semperque in animo haberet. Nam ad hanc etiam statim flectit applicationem v. 25, docens, nostram fidem, ut factum, amplecti, quod, ut Deo possibile et futurum, Abraham firmiter credidit.

Incipit Capite V. tractatio de magnitudine bonorum, seu salutis, quae in ea iustitia est, qua per Christum fide potimur, et continuatur per Cap. VI. VII. VIII. Caput V. duo continet, primum spem in Deo, quam iustificati habemus v. 1-11. deinde parallelismum, qui aliquo modo est inter Adamum et Christum, videlicet eatenus, ut in altero ab vnus peccato mors manuerit ad omnes homines, in altero vnus hominis iustitia vitam det omnibus, quotquot iustificantur, hoc tamen discrimine, ut vis iustitiae multum superet vim peccati v. 12-21.

Ad scopum nostrum modo attinet de parte capituli posteriori quaedam notare. Vox *νόμος* ter occurrit, v. 13. bis, et rursus v. 20. alia semper significatione, veruntamen in contextu sine vlla obscuritate, et prima vice actum legislationis, quae ministerio Moysi facta est, secunda vice legem stricte dictam, seu praecepta de officiis praestandis, tertia denique libros Moysi, quatenus praecepta de officiis et typos continent, denotat. Nempe sermo Apostoli de eo, quem dixi, parallelismo in contrariis, inter vitam omnium, peccato vnus perditam, et iustitia vnus restituendam, incipit v. 12. sed interrumpitur longa parenthesi v. 13-17. rum resumitur, et res breuiter comprehenditur v. 18. sed yberius dilucidatur v. 19-21. Bene itaque memor Apostolus, disputandum sibi esse aduersus homines, qui iustitiam ex operibus legis velint, et ad errorem suum abutantur libris Moysi, eaque textus Mosaici parte, qua speciosissime abuti poterant, mentionem legis quomodocunque sumtae debito loco iniicit.

Planissime autem, uti ex tota epistola ad Romanos, ita ex hoc imprimis textu constat, Apostolum verbo iustificationis uti sensu forensi, nec vlllo alio. Ad quod recte animaduertendum proprietas trium verborum *δικαιοσύνη*, *δικαίωσις* et *δικαίωμα* non est omittenda. Nam *δικαιοσύνη* iustitia varie significat, et modo qualitatem, qua quis iustus est, modo beneficium gratiae, quo iusti censetur, denotat; sed *δικαίωσις* est actus iustificationis, ubi vel agnoscitur iustitia accusati, vel culpa aboletur et peccatum remittitur; denique *δικαίωμα* est illa ipsa res, qua quisquam iustus est, quisquis sit, accusatus, legislator, iudex, mediator, aut ipsa lex, ubi per prosopopoeiam inducitur.

Audiamus textum ipsum, et sua luce radiabit. v. 12. *Quare quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum intrauit, et per peccatum mors, atque ita in omnes homines mors pertransit, quia omnes peccarunt:* v. 13. *Nam usque ad legem (legislationem Mosaicam, quae demum contigit seculo XXV.) peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputatur, si lex non sit* (innuit iam, quod v. 20. apertius dicturus erat, legem scriptam esse accessoriam, quae ne quidem necessaria fuerit, ut esset peccatum. Aliter ante eam peccatum non fuisset, quod secus est. Nam lex alio modo aderat, tum ex verbo Dei ad Adamum, tum ex natura et ratione, ideoque recte imputabatur peccatum.) *Sed (nihilo secius) regnavit (dominationem exercuit) mors ab Adamo usque ad Moysen, etiam in eos, qui non simili transgressionis Adami ratione deliquerant, quae res analogica est illi, quae deinceps futura erat.* (ὅς ἐστι τύπος τῷ μέλλοντος. Genus in ὅς assimilatur masculino τύπος, non ad Adamum referendum, quasi is typus Christi fuisset eo sensu, quo typus hodie in theologia typica sumitur. Τύπος est, quidquid vel rei cuiusdam vestigium, vel exemplar, vel aliquam cum illa similitudinem habet. Hoc loco notatur, quod in consecutione rerum notandarum sit certa similitudo siue analogia, videlicet in eo, quod ab vno ad multos, quinimmo ad omnes, deriuentur illic mala, hic bona.) *Attamen non per omnia similis ratio est lapsus et doni gratiae. Nam si vnus illius lapsu multitudo hominum mortua est, multo magis gratia Dei et donum, quod est in gratia, quae per unum illum hominem, Iesum Christum, obtingit, in hominum multitudinem exuberavit. Itaque donum se non habet, quemadmodum accidit per unum, qui peccauit. Nam iudicium quidem ex vno (lapsu) fuit ad damnationem, sed donum gratiae est eiusmodi, quo e multis lapsibus iusti sumus. Si enim lapsu vnus illius mors dominata est, per unum illum; quanto magis, qui abundantiam gratiae et doni iustitiae accipiunt, in vita regnabunt per unum illum, Iesum Christum. Hic finitur parenthesis, de re summi ponderis admonens, quanto minus sit malum ab Adamo ad posteros profectum, quam bonum, quo beneficio Dei per Christum potiri debemus. Si bene stetisset Adamus, tamen, quia liberum cuiusque arbitrium est, delinquere poterat, qui illo abuteretur. Sed sic iudicii reus et damnationi obnoxius erat sine remedio. Iam praeuidebat Deus certa peccata singulorum, et talem Adami progeniem coordinauit, praedeterminauitque ut ab illo genus duceret, quae constat peccaturis. Permisit, ut delicto primi hominis mors ad omnes deriuaretur, quod magnum est in se malum, sed non comparandum cum magnitudine, quam in suo genere donum gratiae habet, quo non tantum liberari possumus a malo illo, quod a delicto Adami ductum*

ductum est, sed etiam a lapsibus noua et propria culpa admissis et ab omnis generis malo. Iam resumitur v. 18. sermo v. 12. coeptus. *Itaque ergo sicuti per vnus lapsus fuit, quod omnibus damnationi esset; sic, quo iusti simus, quodque per vnum est, omnibus est iustificationi, quae vitam dat. Quemadmodum enim per inobedientiam vnus illius hominis multitudo hominum peccatores facti sunt; sic quoque per obedientiam vnus cuiusdam iusti reddentur multitudo hominum. Lex autem subintravit (insuper addita est) vt exuberaret lapsus (seu peccatum): Vbi autem exundantius peccatum factum fuerit, multo vberius gratia exabundauit.*

Quid v. 20. intelligatur per *legem*, ex appositis praedicatis iudicandum est, nempe ex duobus hisce, quod lex ministerio Moysi insuper addita est, quodque lex eo valet, vt vis peccati magis et vberius pateat. Huc vero non modo spectant morum praecepta, quae vtique valent, vt exuberet lapsus, nempe vt vis peccati magis in lucem prodeat, idque dupliciter, primum quia lex per verba docens instruit, vt latius et rectius agnosci possit peccatum, deinde quia ciet peccatum latens in animo, quod lege irritatum tanto magis prorumpit, eoque cognoscitur, quanta aduersus Deum renitentia, quanta a vero bono auersio sit in homine naturali, qua de re, quippe pessimo peccati symptomate, infra Cap. VII. copiosius tractat. Sed et pariter huc referendae sunt omnes leges typicae, quod antea iam explanauimus. Ecquid enim aliud docent, quam peccatum morte luendum, peccatorem purgandum esse, nec aliter ad Deum accedere posse? Omnes victimae, ablutiones, mundationes hoc docent. Ritus omnium sanctissimus, in die expiationis, est publica Dei protestatio de sua sanctitate. Suum enim habitaculum et altare expiari morte et sanguine iussit, ne sibi exprobrationi sit, quod habiter inter populum immundum. Totus cultus Leviticus est perpetua admonitio de peccatis populi et de peccati reatu, de sententia mortis olim lata, de necessitate peccata morte expiandi. Quamobrem quia in praescriptis ritibus per se nihil inest, quod ad abolendam sententiam damnatoriam digne valere queat; nihil aliud esse poterant, nisi futurae rei pignus et umbra, at in semet ipsis erant publica peccati redargutio, exprobratio, exaggeratio, quae, demta expectatione boni, cuius sacra imago dabatur, nihil quidquam ad iustitiam valere poterant. Non agnoscebat Deus iustitiam in suo populo; alias non pro peccatis sacrificatum fuisset. Sed nec sacrificia ad remittendum peccatum conferre per se possunt; quia ad rem non pertinent. Attamen stricte et sanctissime praescripti ritus seruari debebant; nam res diuina agebatur. Atque etiam id, quod Deus praenotabat, quodque tunc aperte nondum patebat, penitus omitti, vel

ad alienum sensum, vanosque et turpes errores, flecti potuisset, si humano arbitrio licuisset mutationes facere. Quis enim in antecessum determinare potuisset, cuiusmodi pondus sit in vnaquaque parte praescripti ritus? quae circumstantia magnum quiddam designet, quae accessoria et quasi expletiva sit ad conficiendam cultus typici integritatem, nec non ad eius tuendam securitatem, ad augendam decentiam, ad discrimen constituendum a deastrorum cultu, ad salaria sacerdotum apte et sine populi molestia simul ordinanda, et sic porro? Quomodo talium rerum diiudicatio potuisset intelligentiae vel arbitrio hominum illius aetatis, quamvis piorum etiam et prudentum, committi? Quam facile negligi aut mutari potuisset, quod in antitypo praecipuum quiddam futurum et ingens momentum habiturum erat? Quemadmodum talia vitia in sacris gentilium reuera insunt, quae sunt cultus degeneres, male intellecti, et de tempore in tempus humanis additamentis deturpati, et humana temeritate reficti.

Quod dixi de typicis legibus, quod nec dent, nec afferant et declarent iustitiam, sed peccati vim illustrent, peccatum publice arguant, eiusque turpitudinem et damnationem populo agnoscendam inculcent, et visibili modo pingant, illud etiam mediate et remotius valet de reliquis legibus, quibus politia Israelitarum continebatur, quamquam hoc loco hae omitti possunt, quia in his sigillatim iustitiam, propter quam culpa coram Deo caremus, nemo quaesiverit. His enim legibus constituitur et servatur respublica populi sancti, sed cuius sanctitas non ex operibus censenda est, sed ex foedere gratiae, quo Abrahamo promissum fuit, prolem ipsi fore numerosissimam, et sigillatim inter eam populum Deo sacrum, qui possessurus sit terras, in quibus ipse debebat peregrinus, et ex quo nasciturus sit, per quem omnibus gentibus benedicatur.

Iam vide, leges politiae constituunt et sepiunt populum sanctum, inter quem Deus habitat. Media igitur sunt, non finis ipse; non efficiunt sanctitatem populi, sed haec a foedere et sancto Dei domicilio ducebatur. Iam adi sacrum palatium; vide, quid agatur coram sanctuario, quid in illo, quando semel per annum sacerdotum principi ad thronum Dei typicum accedere licuit. Nihil cernis, nisi imagines terribiles, publicum perhibentes testimonium de peccato, de reatu eius, de severitate Dei; caedem vides et sanguinem et mortem pro expiatione peccati, statasque ablutiones pro mundatione hominum. Bona tamen verba audis. Deus habitans in Israele vocari vult *Iehoua*, tamquam *qui erit is, qui erit, qui in perficiendo certo opere versatur* *), atque in eo *magnus erit miseri-*

*) Vid. progr. de vera eaque relatiua nominis tetragrammati significatio ne. Fests Nat. I. G. 1758. et Pasch. 1759.

miseriordia, gratia, longanimitate, bonitate, ideoque toto animo vult sibi credi, se amari, expectari. Iam iudica, annon res ita sit, quemadmodum Paulus dixit, etiam quantum attinet ad leges rituales, typicas, politicas? Annon additae sunt, ut magis pateat vis peccati, eo tamen consilio, ut, quanto lucidius appareat vis et damnatio peccati, tanto illustrius splendeat gratia Dei, quae peccata remittit, sed remittendi peccati causa suo tempore aget, quod agere suscepit, scilicet quod Christus vere peregit et consummavit? Ex quo patet, quod dicere volui, non opus esse, ut v. 20. νόμος lex vnice accipiatur pro praeceptis morum, quinimmo id ne fieri quidem recte posse, sed legem h. l. notare tantum, quantum poscunt vel suppeditant adiecta praedicata. Νόμος igitur h. l. sunt libri Moysi, spectati pro substrata materia, quatenus videlicet continent, quod contradistingui possit promisso foederis de gratia in Christo credentibus decreta, et quatenus itaque tractant hoc ipsum, quo peruersi Iudaei abutebantur, quando iustitiam ex operibus legis adfectabant, eamque doceri in libris Moysi perperam sibi persuadebant. Res longe secus erat. Scripserat Moyses primum, quomodo mors ab Adamo per peccatum in omnes homines dominetur; deinde quomodo per res sacras suo ministerio a Deo sancitas sententiam damnatoriam de peccato morte luendo quotidie per victimas et sacros ritos ob oculos ponat, peccata etiam verbis et factis grauissime arguat, at nihilo secius gratiam promittat iis, qui ipsi, ut Deo suo, vnice et toto animo adhaereant. Atque huius gratiae diuinae primos veluti natales tradidit, quales sunt tempore Adami, et profectus vteriores, cuiusmodi acceperunt tres patriarchae, eosque deducit ad suam aetatem, ubi foedus Abrahamo promissum Deus exsequi coepit. Atque de hoc suo tempore describit copiose, et in manus posterorum tradit tenendum et obseruandum, quantam Deus nunc dederit expectationi fidelium firmitatem, quam amplam certamque futurorum spem, qualia testimonia consiliorum suorum publica sanxerit, et sancte custodiri velit. Non igitur sustulit peccatum, non iustitiam ex operibus humanis docuit; sed expectationem gratiae sic stabiliiuit, ut peccatum exuberaret, i. e. ut vis eius luculentius appareret.

Capite VI. Paulus docet, quomodo cum fide iustificante vita prorsus noua et sancta necessario coniuncta sit. Deducit hoc ex ipsa munere Christi, in quem credimus, ratione. Etenim quatenus Christus est iustitia nostra, cum illo σύνϕυτοι γινόμεθα v. 5. veluti coalescimus in vnum, et censetur in eo, tamquam qui praestiterint, quod is praestitit, quemadmodum is se dedit, ut pateretur, quo luere et expiare delicta peccator tenebatur, dummodo id fieri potuisset. Ex quo consequitur, ut

XIIII

iustificatus se ipsum non aliter spectare debeat, quam hominem, qui censetur peccata sua propterea morte luisse, quia Christus pro illo mortuus est, sed qui e morte ad nouam, sanctam, beatamque vitam Deo viuendam, resuscitatus est, sicuti Christus peccato semel mortuus Deo in perpetuum viuuit v. 2 - 13.

Ad nostram disquisitionem ex toto capite suntaxat pertinet, quo sensu v. 14. dicatur, *quod iusti per Christum non sint sub lege, verum sub gratia*. Non cogitari h. l. debet de lege speciali Iudaica, quasi dicatur, Christianos ab hac immunes esse; quod alioqui certum est, sed nunc non docetur, ex indole autem et scopo legis typicae, quem Apostolus iam exposuit, per se patet, scilicet quia umbra Christi in cultu Dei cessat, postquam Christus adest. Neque etiam libertas a lege caerimoniali ad conclusionem de necessitate vitae sanctae attinet. Nam sanctitas vitae etiam in veteri testamento pariter necessaria fuit. At vero alia res agitur. Doceri debet, fidem, quod Christus nostra iustitia sit, necessario cum vita sancta coniunctam esse.

Enim vero quid sibi velit phrasis *sub lege* esse, intelligitur primum ex opposito *sub gratia* esse, deinde ex modo ratiocinandi: *peccatum vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia*, in quo enthymemate necesse est subaudiri propositionem: causa, cur alicui dominetur peccatum, est in eo sita, quod *sub lege* est, non *sub gratia*. Non igitur lex simpliciter consideratur, quatenus est norma viuendi, sed cernitur eius respectus et ratio seu relatio ad peccatorem. Hinc *per prosopopoeiam lex vt index obiurgans et damnans inducitur*, Deoque ipsi, quoniam is in Christo non vult damnare, sed clementia vti, quodammodo contradistinguitur. Quamdiu igitur quisquam est *sub lege*, h. e. quamdiu aliud nil accipit, quam quod sententiae damnatoriae subiectus sit, tamdiu *peccatum* ipsi eatenus quoque *per legem dominatur*, vt non emendetur, sed vt peccatum vehementius prorumpat, nec homo libenter velit Deo obedire, sed nitatur in vetitum, negata cupiat, Deum odio habeat, qua de re statim Apostolus vberius tractat Cap. VII.

Est igitur h. l. νόμος, quidquid de verbo scripto contradistinguitur *χρῆμα*, ideoque lex strictius accepta, sed formula *ὑπὸ νόμον sub lege* esse non obligationem legi debitam notat, sed oppositum gratiae designat, nempe sententiam damnatoriam. Locutio synecdochica est, et genus pro specie nominatur, aut, si mauis, totum pro parte. Nam notio generalis: *esse sub lege*, duo complectitur, scilicet τὸ obligari, et τὸ iudicari a lege, quorum posterius iam spectatur. Dici etiam potuisset, non estis *sub sola* lege, scilicet quae, si sola esset, obligaret pariter ac iudicaret; sed Ebraeis frequens est, adiectiuum excludens omittere. Si quis ergo non *sub sola* lege est, sed *sub gratia*, obligatur a lege quidem, sed non damnatur.

Vberius explicatio nostra confirmatur per consequentia. Nam qui iuxta v. 14. sunt *sub lege*, non *sub gratia*, vocantur v. 17. 20. *serui peccati*, quibus propter peccatum moriendum est. Non tamen vocantur *serui legis*, quemadmodum v. 22. iustificati dicuntur *serui Dei facti esse*, et v. 18. *serui iustitiae*. Nam offensionis aliquid haberet, si quis negaret, homines seruos legis Dei esse, quia obligationem ad legi obtemperandum sustulisse videretur. Sed quantum ad obligationem, qui obtemperare debent legi, tamen non *serui legis*, sed *Dei serui* vocantur: et quia per gratiam Dei restituuntur, vt obedire possint et velint, nominantur *serui iustitiae* v. 19. qui opponuntur seruis peccati v. 16. Dei reuera *lex est gratia*. Sed quia Deus in Christo gratiosus et iustificans inducitur,

fit

fit duplex profopopoeia. In altera dominans fistitur peccatum per legem, in altera iustitia per gratiam. Peccati dominatio mediante lege ad amplius peccandum, tandemque ad mortem, adigit; scilicet quia peccator a lege damnatur, at ea re non melior fit, sed exacerbatur. Iustitiae dominatio per gratiam, et vicissim gratiae dominatio per iustitiam, tendit ad omne bonum, ad nouam vitam, et postremam ad beatitatem aeternam. Iam voluntas Dei non est, vt peccator pereat, sed vt saluetur. Quare in profopopoeiis eleganter hoc discrimen seruatur, vt lex, quousque damnat, quasi seorsum inducatur; ita tamen, vt non lex dominetur per peccatum, quod indignum foret, nam lex per se et iuste dominatur, sed peccatum dominetur per mortem, cuius sententiam lex fert, ideoque dominatur in eos, qui sub lege, sed non sub gratia sunt. E contrario de his, qui sub gratia sunt, promiscue dicitur, quod sint serui Dei, vel serui iustitiae, quodque imperium in eos teneat siue gratia siue iustitia, ad vitam aeternam.

Simile decorum in vsu profopopoeiae seruatur in argumento illustranti, quod statim sequitur Cap. VII. 1-6. quod, nisi contextus totius tractationis, ex debito quasi visionis puncto, spectetur, quemadmodum hucusque spectandum exhibuimus, magnas habet difficultates, et fere crux interpretum est, cum tamen omnis illustratio ad facilius intelligendum viuidiisque cogitandum comparata esse debeat. Scilicet quia lex peccatoribus mortem denuntiat, cui sententiae subsunt, dum viuunt, nec nisi luenda mortis poena illi satisfcit, quamquam si fieri posset, vt tolerata morte in vitam redirent, vis sententiae illius damnantis expirasset, quod tamen in homines non cadit: Apostolus propterea necessitatem, qua peccator reus legi damnanti deuinctus est, comparat cum alligatione vxoris ad maritum, quae itidem, docente lege, i. e. Scriptura Sacra, in locis, vbi ea de re agitur, per omnem vitam permanet. Non nisi morte legaliter dirimit coniuges. Vtraque pars, siue maritus, siue vxor, coniugii vinculo morte coniugis ita liberatur, vt superstes iuste nouum coniugium inire possit. Iam nouam hominis iustificati alligationem ad Christum cum nouo coniugio, cuius vinculum prorsus perpetuum sit, comparare instituit. At incongrue diceretur, legem mortuam esse. Non enim de lege rituali loquitur, sed de lege omnes vbique peccatores damnante, et cui omnes prauae cupiditates oppositae sunt, v. 5. Quare in applicanda comparatione, nos, dum iustificati sumus per Christum, legi ait mortuos esse. Nempe mortui sumus cum Christo, vt mors eius nostra sit ex decreto gratiae Dei, quando credimus; non secus ac si in potestate nostra fuisset, delicta morte expiare, et post expiationem in vitam reuocari, idque reuera a nobis ita praestitum foret. Itaque mors Christi, quatenus fide ad nos pertinet, scindit vinculum, quo dominanti ad damnationem legis iurisdictioni adstricti fuimus. At enim vero iustificatio per Christum nouum nexit vinculum, quo per omnem vitam Christo proprii, eoque Deo ipsi gratiose iuncti sumus. Alligatio ad legem ius dicentem damnandi causa, non nisi morte tolli potuit; quemadmodum subiectio vxoris sub maritum lege sancitur, vt per omnem vitam maneat, sic vt ab ea nullo modo liberetur, nisi velit adultera esse. Itidem noua obligatio, qua Christo deuincti sumus, perpetua esto. Sed haec necessarium facit, vt legi diuinae obtemperemus, atque hoc ipsum Paulus docere et illustrare, volebat. Quare non, legem mortuam esse, dici poterat, ne legis ius obligandi expirasse putaretur, quod fieri nequit. Sed bene nos dicimur legi, quatenus nos vinctos tenet sententia mortis, mortui, et morte Christi ab hac adstrictione liberati, nouoque et meliori vin-

XVI

vinculo Christo alligati esse. Sic libenter Deo seruimus. ἐν καινότητι πνεύματος, in nouo animi statu, quem Spiritus Christi dat, καὶ ἐν παλαιότητι γράμματος, et non seruimus antiquo illi statui, cuius tenaces sunt aduersarii Euangelii, ostentantes literam scriptam, tabulas et leges, quas Moses accepit, non capientes, quorum id spectet, quod scriptum est, eaque incititia Spiritum S. et vitam in Christo Iesu repudiantes.

Verba sic fluunt Cap. VII. 1-6. *Aut an nescitis, fratres; gnaris enim legis loquor* (qui norunt Scripturam S. veteris testamenti. Non enim opus est, vitam verbi legis significationem hoc loco deferere, quamquam per se patet, id, quod citabitur iam ex sacra Scriptura, partem esse legis strictae dictae.) *quod lex* (statutum de vinculo coniugali, quae est pars legis strictius dictae) *dominatur in hominem, quamdiu uiuit? Viro scilicet iuncta mulier uiuenti viro alligata est lege; quando autem mortuus fuerit vir, abscissa est ab illa lege viri. Quapropter itaque uiuente viro adultera vocabitur, si fiat alius viri; sed quando mortuus fuerit vir, libera est a lege, ut non sit adultera, dum fit alius viri.* (Iam putauerit aliquis dicendum fore, sic lex vobis mortua est, ut iungamini Christo. Sed modo notauimus, incongrue de lege Dei dictum iri, legem mortuam esse. Non lex moritur, sed mortem indicit peccatori, qui iurisdictioni legis ipsi dominanti subest cum magno suo malo. Ne de lege typica quidem digne diceretur, quod mortua sit. Potius data propter scopum temporarium cessat morte Christi, nimirum cessante causa. Sed comparatio, qua Paulus vitur, non perit, ubi inter duos terminos, qui cum coniugibus comparantur, morte dissoluendis, mors de alterutro asseritur; ideoque dicitur de ea parte, de qua congrue dici poterat. Et in antecedentibus legens facile subaudit: similiter maritus mortua vxore ab illa dissoluitur.) *Adeoque fratres mei, etiam vos necati estis legi* (τῇ ἐκ τοῦ νόμου ἐναι, VI. 14. nexui illi cum lege, vi cuius vos iuste damneret, et morti addiceret) *per* (necatum) *corpus Christi, ut in alius possessionem veniretis, eius nempe, qui e mortuis resuscitatus est, ut fructus feramus Deo.* Cum enim in carne essemus, (carnales, nondum conuersi ad Christum) *pathemata peccatorum, quae per* (ipsam) *legem, (concitabantur) operosa erant* (tanto vehementius operabantur, quando lex verabat) *in membris nostris, ut prouentus, qui inde fiebat, mortis esset. Nunc vero abscissi sumus a lege* (a nexu subiectionis sub sententiam legis damnatoriam) *dum mortui sumus, rei illi, qua tenebamur, ita ut nunc seruiamus in nouitate Spiritus* (in nouo statu, qui Spiritus est,) *non vetustati literae* (non vetusto statui, quem tenent, qui literam ostentant, sed Christo et Spiritu carent.)

Quae dicenda restant, futuro programmata sequentur, et claudunt tractationem. Iam gaudemus, quod congrue his, de quibus proxime dictum est, memoria resurrectionis Domini, qui nobis iustitiae et saluti esse solus potest et debet, indicenda est. Celebrabimus eam quoque more consueto oratione solenni, festo resurrectionis D. N. I. C. in templo academico, habenda a Nobiliss. Doctiss. IO. LVDOVICO GRIMMIO, Ratisbonensi, eximiae indolis et spei iuvene, qui sermone graui et luculento exponet de sapientissimo Christi consilio in deligendis iis, quibus se redimendum ostendere voluit. Ad audiendum igitur ut statim ab hora XII. conueniant, ILLUSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, Cives denique Generosissimos Nobilissimosque, humanissime inuitamus, rogamus. P. P. Lipsiae Festo Paschatis A. N. C. CIOCCCLXVI.

L I P S I A E,

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.



Fe 3031

S

ULB Halle

3

005 217 547



wo

W 18

N. C.

D. CHRIST. AVG. CRVSH
OBSERVATIONES
DE
V S V
VOCABVLI NOMOS. LEX

SIGILLA
IN EPISTOLA S. PAVLI

SECTIO TER

PROPOSITA
IN ACADEMIA LI
FESTO RESVRRECTIONIS
CID IDCC LXV

